

quod plures scripturae deficiunt aliaque confusae remanent ob incendium sequutum paucis ab hinc annis in dicta Cancellaria, transmisit tamen actum publicum visitationis peractae de 1684 ab Archiepiscopo Guinigio, qui dictum Altare ejusque suppellectilia visitaverat, et in eo enuntiatur, quod sub die 30. Maii 1642 ex rogitu Octavii Stellae Curiae Archiepiscopalis Notarii inter PP. Minores de Observantia et Confratres ejusdem Societatis s. Antonii inita fuit transactio cum auctoritate recolendae memoriae Cardinalis Capponi tunc dictae Ecclesiae Archiepiscopi, in qua praedicta confraternitas erecta fuit subjecta Decretis et Visitationi Archiepiscoporum pro tempore ad formam Constitutionum apostolicarum; idque actum fuerit cum auctoritate san. mem. Urbani VIII. prout ex literis in forma Brevis sub die 30. Augusti anno 19. ejus Pontificatus.

Aliud antiquum monumentum adest in eadem Capella in marmore infixum scilicet: *Divo Antonio Patavino gratiarum intercessori pietas Ravennatum erexit anno 1677.*

Ex his aliisque ab utraque parte deducendis dignabuntur EE. VV. sapientissime de more respondere ad infrascripta dubia:

1. An Capella et Altare sancti Antonii sita in Ecclesia PP. Minorum de Observantia Ravennae subsint Visitationi Reverendissimi Archiepiscopi?

2. An ornamenta et suppellectilia ejusdem Altaris et Capellae spectantia ad eosdem PP. possint ab eo visitari?

3. An ea spectantia ad Societatem s. Antonii, quae in actu Visitationis servantur in Arca aut in alio loco, visitari debeant in locis, in quibus asservantur, seu potius asportanda sint intra Capellam praefatam ibique visitari?

S. C. resp.

ad 1.: Affirmative ad formam Nucerinæ;

ad 2.: Negative;

ad 3.: Posse visitari ubicumque servantur.

Die 10. Mart. et 7. Apr. 1731.

Murana.

In Ecclesia Coenobii Fratrum Minorum Conventualium Oppidi s. Felicis binæ sunt arae, altera dedicata SSmo Rosario, altera s. Francisco Assisiensi. In iis fuerunt olim instituta duo Laicorum Sodalitia, quibus etiam imminet onus Altaria eorumque ornamenta conservandi et reparandi. Utrumque Altare semper antehac consuevit ab Episcopis visitari, editis quoque opportunis decretis tam circa proventuum administrationem quam circa ipsorum Altarium restaurationem atque ornatum, ut probant allata documenta ab anno 1679 ad 1730.

At quamvis Episcopus die 14. Jun. superioris anni per Vicarium foraneum significasset Rectori Coenobii, quem vocant Guardianum, se mox accessurum visitandi causa utrumque illud Altare, nihilominus adventante ad Ecclesiam Episcopo restitit Guardianus, clausis Ecclesiae foribus, quas nec etiam pluries monitus aperiri voluit. Itaque Episcopus statim, ut illatam dignitati et auctoritati suae injuriam vindicaret suamque tueretur possessionem, P. Guardianum excommunicatione pertulit et publicas denunciations, quas cedulones nuncupant, proponi jussit.

Quamobrem tum de censuris ipsis, quas non substineri contendit P. Guardianus, tum etiam de potestate visitandi memorata Altaria deliberandum hodie est.

Quantum vero attinet ad primum putat Episcopus, sibi jam existenti in

possessione visitandi Aras illas licuisse judiciario ordine non servato, nec monitione praemissa, P. Guardianum anathemate mulctare, juxta *Text. in cap.: Cum ex Officiis, de praescript., cap.: Cum nuper censib., et cap.: Dilecto §.: Et quidem de sent. excom. in 6.*, ut luculenter probat *Fagnan. in Cap.: Procuraciones* a num. 27. ad plures seqq. de Censib.

Plura ad excusandum factum adducit Guardianus, sed illud potissimum, eo animo fuisse Episcopum, ut non solum altaria illa sed etiam Ecclesiam visitaret.

De jure autem et modo visitandi Sodalitia eorumque Capellas in Ecclesiis Religiosorum existentes plures ab hac sac. Congregatione prodierunt resolutiones ac praesertim in *Nucerina Paganorum* 23. Junii 1628. his verbis: „S. Congr., inhaerendo declarationibus alias factis censuit Confraternitates Laicorum, in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas, subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi illasque ab eo visitari posse, necnon illarum Capellas in eisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciant et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera missarum atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum et circa ea omnia, quae ad obligationem eorundem confratrum relationem habent“, ut in lib. 14. decr. pag. 115. Quam quidem decreti normam secuta fuit sacra Congregatio etiam in *Urbanien. visitationis capellae* 23. Sept. 1690 lib. 40. decr. pap. 657. et in *Firmana jurisdictionis* 4. Aug. 1714 a 1. dubium, ut in lib. 14. decr. pag. 276. et pag. 303. et in *Spolelana juris*

visitandi 30. Sept. 1730 ut in lib. 80. decr. pag. 290. et in *Ravennaten. visitationis* 7. Apr. 1731 ut in lib. 81. decr. pag. 144.

Opponit Guardianus quoad altare s. Francisci jam inde ab anno 1726 sublatam de medio fuisse confraternitatem, quae ibi fuerat instituta, adeoque etiam cessasse causam visitationis ab Episcopo peragendae.

Porro in visitatione, quam hodiernus ipse Episcopus obivit anno 1726 haec legitur annotatio: „In questo altare (scilicet s. Francisci) vi era la Confraternita sotto il titolo di s. Francesco, oggi pero non vi é.“ Sed tamen singulis sequentibus annis Episcopus iterum visitavit utrumque altare et quidquid factum opus erat praescriptum (nulla quidem habita mentione confraternitatis) ac tandem anno 1730 ambo eadem altaria interdicto subjecti, usque dum satisfactum fuisset decretis de illorum restauratione.

Definiendum igitur erit:

1. An censurae sustineantur?

2. An Episcopus visitare possit altaria sanctissimi Rosarii et sancti Francisci existentia in Ecclesia PP. Minorum Conventualium Oppidi s. Felicis in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmative. Ad II: Affirmative, ad formam resolutionis in *Nucerina Paganorum* et amplius.

Die 21. Junii 1733.

31) Ecclesiae non curatae.

Vd.: *Visit. eccles. par. et curat. regul.* (decr. diei 23. Jun. 1727 2do; 11. Jan. 1727.)

32) Ecclesiar. erectarum in solo Lateranensi.

Vd.: *Visit. (capellar.; eccles. regul.)*; pag. 890. decr. *Macerat.*

Episcopus sive per seipsum sive per alium delegatum visitare potest

Ecclesias etiam non curatas, quae reperiuntur erectae in solo Lateranensi ut clare patet ex responsione sacrae Congregationis Concilii ad sequentia dubia proposita ab Episcopo Mileti.

I. „An Episcopus Miletenis tanquam Delegatus apostolicus possit subdelegare suum Vicarium generalem vel aliam Dignitatem ecclesiasticam sibi benevisam in visitatione dioecesis et praecipue Ecclesiarum, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi.“

II. „An Vicarius destinatus in dicta Dioecesi Mileten. a Reverendissimo Capitulo Basilicae Lateranen. posset revidere visitationes factas ab Episcopo sive ejus delegato Visitatore in dictis Ecclesiis?“

III. „An praedictus Vicarius Lateranen. in dicta dioecesi Mileten. possit revidere computa et visitare libros administrationis reddituum societatum laicarum erectarum in iisdem Ecclesiis et an pro dict. computorum revisione possit recipere a dd. societatibus aliquod emolumentum seu mercedem?“

IV. „An Vicarius destinatus in dicta Dioecesi Mileten. a dicto reverendiss. Capitulo possit indicare concursum in occasione vacantiae Ecclesiarum parochialium, quae praetenduntur sitae in solo Lateranensi?“

V. „An Episcopus Mileten. in praefatis Ecclesiis intra fines suae dioecesis possit exercere suam jurisdictionem ordinariam quoad provisionem parochialium aliorumque concernentium curam animarum et administrationem sacramentorum?“

VI. An in alienationibus rerum earundem Ecclesiarum solemnitates requisitae etiam in vim can.: Terulas quaest. 2. adhiberi debeant per Episcopum vel per dictum Vicarium destinatum a capitulo dictae sacrosanctae Basilicae Lateranensis?“

VII. „An in casu, quo praedictus Vicarius destinatus a Capitulo se ingereret in Jurisdictionibus et causis spectantibus ad Episcopum Mileten. possit ab eodem coerceri et puniri canonicis censuris et poenis?“

Quibus praepositis, auditis partibus in plena Congregatione, 23. Aprilis 1701 responsum fuit

Ad primum: Posse visitare per se vel per alium etiam Ecclesias sitas in solo Lateranensi ad formam s. Concilii.

Ad secundum: Negative.

Ad tertium: Negative ad utrumque.

Ad quartum: Negative.

Ad quintum: Dilata.

Ad sextum: Spectare ad Episcopum privative.

Ad septimum: Affirmative.

Super quibus reposita causa 3. Maii 1702 eadem Congregatio respondit

Ad 1: In decisis.

Ad 2: In decisis.

Ad 3: In decisis quoad primam partem, praeterquam quoad Archiconfraternitates erectas auctoritate Capituli; et quoad secundam: in decisis.

Ad 4: In decisis.

Ad 5: Quoad primam partem affirmative.

Ad 6: Dilata,

Ad 7: In decisis.

Et iterum in eadem causa et inter easdem partes propositis novis dubiis

I: An sine subdelegatione speciali subdelegatus ab Episcopo ad visitandam dioecesim possit visitare Ecclesias, Confraternitates et loca pia fundata in solo Lateranensi?“

II. „An dicta subdelegatio specialis debeat a Subdelegato ostendi et inseri actis Visitationis?“

III. „An Episcopus vel ab eo Delegatus teneatur declarare expresse se visitare jure delegato?“

IV. „An Vicarius Lateranensis in visitatione, quam facit jure ordinario possit petere, ut sibi ostendantur acta visitationis factae ab Episcopo vel ejus Delegato?“

V. „An Ecclesias parochiales fundatas in solo Lateranensi valeat Episcopus visitare jure ordinario?“

Die 27. Novembris 1703

S. Congr. etc. respondit

Ad 1: Negative et quoad confraternitates juxta resolutiones jam factas.

Ad 2: Affirmative.

Ad 3: Affirmative.

Ad 4: Affirmative, non tamen auctoritative ad effectum corrigendi.

Ad 5: Negative.

33) Ecclesiae exemptae.

(Episcopo licet.)

Vd.: *Visit. Eccles. par. et cur. regul.; Visitat. Episc.* (Jus etc. praecipue decr. Bononien.)

Perantiquae vigerunt controversiae primum in auditorio s. Rotae usque ab anno 1579 postmodum in hac s. Congr. inter Archipresbyterum Ecclesiae Collegatae s. Petri oppidi Cerignolae in Apulia ex una et Episcopum Minerbinen. ex altera partibus praetendente eodem Archipresbytero sese exemptum esse a cujuscumque Episcopi jurisdictione ac in praefato oppido jurisdictionem quasi episcopalem exercere posse cum territorio separato nullius dioecesis atque literas dimissoriales ad quoscumque catholicos Antistites suis subditis concedere, ex adverso contendente Episcopo ad se uti vicinorem spectare jus visitandi Ecclesias et personas Oppidi antedicti omniaque vicinioritatis jura exercere

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

et concurrente in causa etiam Episcopo Asculano, qui se asserebat aliis vicinorem, de anno 1660 unitim hi duo Antistites libellum supplicem porrexerunt huic s. Congregationi pro declaratione, cuinam eorum spectaret jus visitandi Ecclesias Oppidi Cerignolae, et prodiit rescriptum sub die 19. Junii praelibati anni in Minerbinen. et Asculana. Congregatio Concilii censuit: *Jus visitandi praefatas Ecclesias nullius dioecesis ex cap. 9. sess. 24. de reform. competere Episcopo Minerbinen.* Iterum proposito dubio S. C. resp.: *Manutenendum esse Ep. Minerbinen.*

Die 30. Maii 1699 et 1. Jun. 1709.

Ecclesiae Collegio vel Monasterio exempto unitae ab Ordinario, quamvis curam non habeant neque unquam ab ejus praedecessoribus sint visitatae, *jure delegato* visitantur.

S. C. C. die 2. Oct. 1721 *Bonon.*
23. Junii 1725 *Lycien.*

Ordinario competere jus visitandi *collegiatam exemptam jure deleg.*, parochiam vero eidem canonicè adjectam juxta decreta Conc. Tr. Sess. 7. et 21. cap. 8.

S. C. C. die 30. Jan. 1736 *Regien.*

Episcopo licet visitare Ecclesiam *abbatiae exemptae* quoad Sacramenta et Sacramentalia.

S. C. C. die 23. Jan. 1734. *Larin.*

Episcopus tanquam Sedis apostolicae Delegatus visitare potest omnes Ecclesias saeculares exemptas, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis: *Communis*, textu expresso in Conc. Trid. sess. 7. de refor. c. 8.

Item potest Episcopus vicinior tanquam Sedis apostolicae Delegatus visitare Ecclesias omnes saeculares nul-

lius dioecesis quantumque exemptas et sedi apostolicae immediate subjectas, etiamsi in illis Praelatus inferior habeat quasi episcopalem jurisdictionem. Concil. Tridentin. sess. 24. de refor. cap. 9., *Barbosa* ad dict. cap. 9. n. 1. et 2. allegans *Rotam* decis. 396. part. 1. recent. et plurimos Doctores. Non potest tamen visitare Ecclesias regulares nullius dioecesis, ut ex Trident. et decret. s. Congr. ad longum probat *Fagnan.* lib. 3. decretal. in cap.: Nullius de parochiis num. 33. et 37. et *Matthaeuc.* Official. Cur. cap. ult. n. 12. ad 14. et alii.

Visitare jure delegato potest Episcopus Ecclesias unitas Collegiis exemptis. S. Congr. Concil. in Bononien. juris visitandi 2. Oct. 1721. Sic refert *Ursaya* in Miscellan. l. 1. Sac. et profan. lit. V. n. 127.

Visitare tamen non posse Episcopum beneficia unita universitati Complutensi ob privilegia, quae habet, decrevit s. Congr. Concil. die 22. Junii 1606 apud *Aldan.* in compend. canonic. resolut. lib. 1. tit. 7. n. 10. et *Barbosa* summa apostolic. decis. verbo: Visitare, quando et quae Episcopus valeat num. 14.

Patres Tridentini sess. 7. cap. 8. de reform. praeceperunt locorum Ordinariis, ut Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitent et opportunis juris remediis provideant, ut, quae reparatione indigent, reparantur, etiam per sequestrationem fructuum, cap. 8. sess. 21. de reform.

(Ex res. S. C. C. diei 22. Maii 1830. *Tuscanen.*)

Spoletana.

(Conc. Tr. C. 8. Sess. 7.; C. 8. S. 21. C. 9. S. 24. De refor.)

Jam de mense Octobris anni ultimo effluxi Episcopus Spoletanus sanctam

visitacionem prosequens in ducatu Ferrentilli mandatum dedit Canonico Guerrae perlustrandi abbatialem Ecclesiam s. Petri, cui animarum cura incumbit, cumque idem Canonicus medium teneret iter, obviam habuit sacerdotem Augustinum Placidum Vice-Curatum praelibatae Ecclesiae, qui praesignificavit ex praescripto Petri de Ancajanis Abbatis ejus fores clausas esse, ne visitationi aditus pateret, quemadmodum re ipsa deprehendit irritoque conatu reserari mandavit; hinc eodem Vice-Curato exponente Ecclesiae claves resumpsisse jamdicti Abbatis Nepotem tum praesentem, Canonicus subdelegatus cum ipso colloquium instituit, at denique re infecta discessit. Porro id aegreferens Promotor fiscalis pro directione visitationis specialiter electus exhibitis in episcopali Curia ad praemissorum verificationem testium depositionibus aliisque documentis, quae in summario dabuntur, sub die 25. praelibati mensis Octobris opportunam desuper inquisitionem instituit ac postridie expediri citationem curavit adversus praememoratum Augustinum Placidum quatenus in termino horarum sex, quarum duae pro primo, binae sequentes pro secundo, reliquae vero ultimo respective termino computarentur, iudicio sisteret ad dicendam causam, quare ob perturbatam visitationem jure delegato in saepedicta Ecclesia versantem censuris obnoxium declarari eamque Ecclesiam ecclesiastico subijci interdicto non deberet; exindeque sub die 27. subsequenti actis reproductis cum monitione, ut perhibetur, legitime exsecuta ejusque contumaciali absentia incusata Episcopus Spoletanus praefatum Augustinum anathemati subjectum Ecclesiamque interdictam declaravit literis subinde affixis. Protinus quidem Abbas praememoratus de Ancajanis idemque Au-

gustinus ab hujusmodi actis provocaverunt ad Tribunal A. C. beneficiumque absolutionis cum reincidentia reportarunt, autumantes Ecclesiam saepedictam abbatialem ne dum ab Episcopo jurisdictione esse exemptam, immo vero in territorio separato consistere. Quoniam vero Spoletanus Antistes pro certo habet dictae Ecclesiae situationem in dioecesi Spoletana, quin etiam contendit, nullimodo visitationem eludi posse in praefata abbatiali Ecclesia, quaquaversum causa hujusmodi versetur, eo sub obtentu, quod etiamsi in hypothesi ageretur Ecclesiae saecularis exemptae, immo vero nullius dioecesis, nihilominus Episcopus vicinior perlustrare eam posset tamquam Sedis apostolicae delegatus, non obstantibus privilegiis quibuscunque et consuetudinibus etiam immemorabilibus. Hinc ejusmodi controversia ita ab R. P. Auditore SS. bipartita fuit, ut quoad jurisdictionem ordinariam, quam prae viribus Episcopus propugnare contendit, iudicium coram A. C. prosequeretur, quo vero ad jurisdictionem delegatam causa in hoc sacro concessu decerneretur. Subscriptis itaque ad hujusce decreti formam binis dubiis partes supplices exspectant summum EE. PP. oraculum pro declaratione:

I. An Episcopo Spoletano competat jurisdictio delegata in casu?

II. An censurae sustineantur in casu?

S. C. C. resp. ad I: Affirmative quoad visitationem;

ad II: Negative et amplius.

Die 9. et 30. Sept. 1713.

Spoletana.

(Conc. Tr. C. 8. Sess. 7.; C. 8. S. 21.; C. 9. S. 24. De ref.)

Jam de anno proxime effluxo coram Episcopo Spoletano visitationis

munus obeunte in oppido Nursiae stitit Andreas Ferretti Procurator Equitis Commendatarii Platamonii eique contestatus fuit, ne iniret Ecclesiam s. Jacobi annexamque domum, quam incolunt Patres Congregationis Oratorii s. Philippi Nerii, cum sub pleno domini jure esset hierosolymitanae religionis exindeque perlustrari nullo modo deberet, perspectis ejus privilegiis ac exemptionibus; at prae laudatus Antistes, protestatione admissa, quatenus de jure afficeret, animum suum aperuit invisendi jam dictam Ecclesiam nedum ordinaria auctoritate verum quidem tamquam apostolicis Delegatus, ut re ipsa sub die 7. Augusti praelibati anni praestitit. Statim itaque jam dictus Procurator provocavit ad Tribunal A. C. remissaque subinde hujusmodi controversia ad EE. PP. concessum, modo pro parte ejusdem religionis exponitur, quod jam inde ab anno 1698 precibus inclinatus PP. Congregationis Oratorii tum Commendatarius Spinula eis concessit perpetuum usum praelibatae Ecclesiae, spectantis ad Commendam s. Jacobi, accedente consensu magni Magistri; prae caeteris vero in hujusce concessionis instrumento cautum expresse fuit, quod sacrae religionis insignia supra januam jugiter retinerentur, quae patens argumentum forent pleni ejus domini, quodve jus visitandi private Commendatario competeret neque praeter usum quidquam amitteret in praedicta Ecclesia.

Iterum quoque perpetuum hujusmodi usum obtinuerunt PP. Congregationis Oratorii, postquam oppido Nursiae infausto terrae motu concusso Ecclesiaeque praedicta s. Jacobi fere eversa novum templum a fundamentis in ejus solo suscitavit, quam subinde concessionem s. Congregationis Episcoporum et Regularium auctoritate confirmari curarunt. Cum itaque contro-

verti nec posse asserat religio hierosolymitana ejus plenum supradictae ecclesiae dominium, cui animarum cura minime incumbit, consequens esse prosequitur, quod Episcopus neque ordinario neque delegato jure eam perlustrare possit. Verum Promotore fiscali Curiae episcopalis his reponente, quod ecclesia nuper sub titulo s. Philippi aedificata nullatenus spectet ad praelaudatam religionem, sed tantummodo Patres Oratorii haberi possint tamquam ejus Livellarii seu Emphiteutae ratione soli praeterea neque exemptionem aucupari valeant ex facto praefatae concessionis, cum exinde neque servientes nec familiares saepedicti militaris ordinis evaserint, aliusmodi vero ejus privilegia communia ipsis fieri nequeant. Superest, quod EE. VV., qua pollent sapientia, concordata dubia definiant:

I. An liceat Episcopo visitare Ecclesiam, de qua agitur, in casu?

II. An visitatio facta sit attentenda in casu?

S. C. C. resp. ad I: Negative.
ad II: Provisum in primo.
Die 29. Julii 1713.

Iterum proposito dubio:
An sit standum vel recedendum a decisio sub die 29. Julii 1713?

S. C. C. resp. ad I: In decisio quoad materiale ecclesiae, in reliquis spectare ad Episcopum;

ad II: In decisio et amplius.

Die 16. Decembris 1713.

34) Ecclesiae unitae cum exempto Monaster.

(Episcopo non licet.)

Naulen.

Monasterium et ecclesiam s. Mariae de Ripa in dioecesi Naulensi diminuto

ob reddituum inopiam Montialium Ordinis Cisterciensis numero, Leo decimus Pontifex providentissimus anno 1519 Monasterio Vallis Piae Congregationis Olivetanae, quod Finarii est in Dioecesi Savonensi, perpetuo univit, adnexuit et incorporavit ea lege, ut Priores Monasterii sanctae Mariae de Ripa per aliquem vel aliquos Monachos vel alium Regularem cujusvis alterius ordinis vel saeculares Sacerdotes singulis Dominicis et aliis festis diebus Missam celebrari et alias in Divinis eidem ecclesiae deservire facere tenerentur, quod ad haec usque tempora diligenter servatur. Nulla inter Monachos Congregationis Olivetanae et Naulenses episcopos de hoc monasterio s. Mariae de Ripa exorta fuit controversia, quod episcopi nullam in eo jurisdictionem sibi arrogarent, sed anno 1654, qui tunc ecclesiae Naulensi praerat, episcopus praetextu constitutionis: *Instaurandae* latae ab optimo Pontifice Innocentio X., et cognitissimi decreti: *Ut in parvis*, jurisdictionem acquirere tentavit. Re tamen ab Abbate Monasterii Vallis Piae Finarii delata ad sacram Congregationem negotiis et consultationibus Episc. et Regular. praepositam proposita rejectus fuit episcopus et objurgatus gravi epistola. Hoc exemplo non deterritus, qui nunc ecclesiae praest Naulensi, anno 1748 ecclesiam monasterii s. Mariae de Ripa nunquam ab episcopis Naulensibus visitatam et clam Monachos Olivetanos visitare primus voluit, sed, ubi id Abbas Monasterii Vallis Piae rescivit, primum contra eandem visitationem protestationem emisit, inde ad hoc sacrum Tribunal venit, postulans ut ab eminentissimis Patribus definiretur episcopos Naulenses neque ordinario neque delegato jure ecclesiam illam visitare posse. Auditus fuit, ut fieri solet, episcopus Naulensis, qui in epi-

stola sua totus est, ut jura sua tueatur.

Causa nunc proponitur et disputat Monachi Olivetani Vallis Piae Finarii Monasterium s. Mariae de Ripa unitum fuisse accessorie et subjective monasterio Vallis Piae, quia id ferant verba: Monasterium de Ripa praedictum praefato monasterio Vallis Piae auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus et adnectimus et incorporamus“ ut uno consensu docuerunt *Barbos.* de offic. de potest. Episc. alleg. 61. num. 23. et seqq., *Hojed.* de incompat. benef. par. 2. c. 3. num. 3., *Garzia* de benefic. par. 12. cap. 2. num. 55., *Pax Jordan.* lucubr. lib. 10. tit. 32. num. 11., *Murga* de benefic. quaest. 4. sect. 6. num. 197. et seq., *Carol. Anton. de Luca* ad Ventrigl. in prax. adnot. 8. §. 2. num. 3. tom. 2. Cum aliud sit, quum duo beneficia, ecclesiae vel monasteria invicem et simul uniuntur, aliud vero, cum unum alteri unitur; nam primo casu utrumque aequali unione afficitur et ideo utrumque aequae principaliter uniri et connecti oportet; altero vero casu, quod unitur alteri, non nisi accessorie et subjective uniri et connecti possit, ut disserunt *Fagnan.* in cap.: novit. num. 3. de sed. vacan., *Schmalzgrueb.* in jus canon. lib. 3. tit. 5. num. 161., *Gonzal.* ad reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. n. 119., *Leuren.* For. benef. quaest. 88. n. 2. Ubi enim beneficium vel ecclesia alteri unitur, definit esse corpus, quod per se ipsum consistat et ideo necesse est, ut alterius, cui unitur, pars et membrum fiat, quod est esse unitum accessorie et subjective, quae fuit *Angeli* jurisprudentia in cons. 248. vers.: sed ubi sit unio, quam laudant probantque *Ferrett.* cons. 242. n. 5. vers.: et quando, *Mandos.* ad regul. 12. cancell. quaest. 1. num. 6., *Hojed.* de incompat. par. 2. cap. 3. num. 3.

vers.: nam si fiat unio, et vers.: tamen incorporatio, *Gratian.* discept. 291. n. 2. et 3. aliique frequentissime.

Ex hac igitur subjectiva unione monasterii de Ripa, quam Leo X. fecit monasterio Vallis Piae Finarii, efficitur, ut monasterium de Ripa factum fuerit pars et membrum monasterii Vallis Piae et ideo frui debeat omnibus juribus, privilegiis et exemptionibus, quibus praestat principale corpus, cui facta fuit unio, nempe monasterium Vallis Piae, ut tradunt *Paris.* cons. 128. num. 17. et 20. lib. 4., *Garz.* de benefic. par. 7. cap. 10. num. 23 et 8., *Murga* quaest. pastor. par. 2. quaest. 5. n. 1. et 2. et quaest. 6. n. 20., *Card. Petra* ad constit. apost. Anastas. IV. const. 1. sect. 1. n. 45, itaut, sicuti Monasterium Vallis Piae Finarii exemptum omnino est ab omni episcopali jurisdictione sive ordinaria sive delegata et sive una sive altera ab Episcopo Savonensi visitari nequit, ita monasterium et Ecclesiam de Ripa veluti partem, membrum et accessorium monasterii sive ordinaria sive delegata auctoritate visitari non posse Episcopum visitare ne jure quidem delegato Ecclesias illas, quae subjective unitae fuerint monasterio Regularium exempto a quavis etiam delegata jurisdictione episcopali ut docent *Conzolez.* ad dicta reg. 8. cancell. gloss. 5. §. 7. num. 34. et seqq., *Tamburrin.* de jur. Abbat. tit. 1. disput. 15. qu. 7. num. 10. et perpetua fuit sacri hujus Tribunalis sententia. Nam, ubi de subjectiva unione non constabat, decrevit Ecclesias delegatae Episcoporum jurisdictioni subjectas esse et jure delegato posse visitari, ut in *Lycien.* visitationis et censurarum 29. Januarii 1724 et 23. Junii 1725 ad I. dubium, in *Placentina* 17. Augusti 1726 et 11. Januarii 1727 ad I. dubium, in *Montis Regalis* 15. Martii 1727 allis-

que. Contra vero, ubi de subjectiva unione constabat, censuit Ecclesias ab omni jurisdictione et visitatione etiam delegata exemptas et solutas esse, ut patet ex decretis collectis a *Tamburrim*. dicta quaest. 7. num. 10., *Barbos*. ad Concil. Trid. sess. 7. cap. 8. num. 15. et 18. de reform. et *Panimoll*. decis. 84. annot. 1. num. 20. et advertitur in folio dictae Lycien. visitationis et censurarum diei 18. Decembris 1733 §.: Additur, et die 23. Juli 1725 §.: Haec quoad Ecclesias regulares.

Nec mutare ajunt Monachi Olivetani decreta Tridentini, quae initio hujus causae adscripsimus, quod illa vel sermonem habeant de Ecclesiis commendatis vel de Ecclesiis, quae, licet ad Regulares spectent, a saecularibus tamen retinentur, vel de Ecclesiis parochialibus, quorum nullus sit casus, in quo versamur. Haec Patres monasterii Vallis Piae Finarii. A Promotore Fiscali Curiae episcopalis Naulensis nondum libellum jurium habuimus. Dubium est:

An Episcopus visitare possit Ecclesiam s. Mariae de Ripa, vulgo s. Benedicti in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 2. Dec. 1752.

35) Ecclesiae exemptae Religionis Hierosolymitanae non licet.

Vd.: p. 899. *Spoletana*.

Nucerina.

Episcopus Nucerinus, dum anno 1780 suae Dioecesis Visitationem perageret, visitavit etiam Ecclesiam ruralem divo Leonardo dicatam, quae sita est in territorio Oppidi Gualdi, et pertinet ad Commendam s. Justini Perusiae Ordinis Hierosolymitani. Nonnulla edidit decreta, quibus dictam Ecclesiam restaurari et sacris suppellectilibus provideri mandavit; utque

omnia, quae praeceperat, citius adimplerentur, sequestro subiecit redditus quorundam honorum ad dictam Commendam spectantium. Ubi primum haec innotuerunt Equiti Didaco Emanuelli Rovero Commendae possessori, statim ipse de turbata jurisdictione apud sacram Congregationem conquestus est petitque, ut irrita declarentur acta per Episcopum hac de causa gesta. In locum Equitis Rovero subrogatus deinde fuit Eques Bonacursius, qui jura sui praedecessoris prosequitur sub dubiis inferius descriptis.

Inquit, ecclesias Ordinis Hierosolymitani exemptas esse ab Episcopi Visitatione, prout in pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus declaratum fuit, solumque a s. Pio V. Episcopis fuisse permissum, ut jure delegato visitarent Ecclesias et Beneficia cum cura animarum, coercita tamen Visitatione ad ea tantum, quae Sacramentorum administrationem respiciunt. Id ipsum a san. mem. Benedicto XIV. confirmatum et sacrae Congregationis decretis fuisse roboratum. Hoc igitur posito contendit nullo jure potuisse Episcopum Nucerinum visitare Ecclesiam s. Leonardi, quae parochialis non est et cujus manutentioni et decori per Visitationem anno 1779 expletam ab Equite Joa. Baptista Severi fuit abunde provisum.

Nec obesse, quod eadem Ecclesia saepius subjecta fuerit Episcopi Visitationi, quia non debent attendi quidquid perperam fecerunt Episcopi praedecessores, quorum factum prosternitur a clausula, *sublata et decreto irritante*: quibus apostolicae Constitutiones munitae sunt, maxime quia sacr. Congr. die 17. Junii 1690 in causa *Mantuana* declaravit non licere Episcopis visitare Ecclesias non parochiales Ordinis Hierosolymitani, quamvis a praedecessoribus Episcopis fuissent visitatae. Ex his omnibus infert ad II.

dubium irritam esse Visitationem peractam ab Episcopo Nucerino et omnino circumscribendum ex defectu jurisdictionis sequestro de ejus mandato colonis Commendae indictum.

Episcopus refert praedecessores suos nunquam omisisse Visitationem Ecclesiae s. Leonardi, idque comprobatur atestationibus tum Canonici senioris, qui per plures annos munus Convicatoris exercuit, tum etiam Cancellarii episcopalis, qui pervolutis Actis Visitationum testatur ab anno 1579 Episcopos Nucerinos pacifice semper dictam Ecclesiam visitasse pluraque in actu Visitationis edidisse decreta ejusdem Ecclesiae decorem et manutentionem respicientia. Advertit perperam in dubium revocari Episcopi auctoritatem, quam sac. Congregatio attenta immemorabili consuetudine, etiam lite pendente, semper praeservavit. Notat insuper supervacaneum fore Dioecesis Visitationem instituere, nisi Ordinarii locorum facultate potirentur adigendi Ecclesiarum Rectores, etiam Milites Hierosolymitani sint, ad executionem Decretorum, quae in ipsa Visitatione edita sunt, per fructuum sequestrationem: *Monacellus Formular. legal. part. 2. tit. 15. for. 1. num. 28.*

Addit ulterius, inanem esse quaestionem de circumscriptione sequestri quod Eques Commendatarius nunquam voluit attendere, cum singulis annis consuetos redditus perceperit. Demum inquit: *Promotor meus Fiscalis, cum decreverit nullam velle sibi suscipere in hac causa partem, declarat praefixum habere sibi terminum, quem illi praefigere debebam jussu EE. VV., cum instante Equite Commendatario s. Justini Perusiae EE. VV. visum fuerit ad me nullatenus spectare ejusdem Ecclesiae visitationem, me hoc ulteriori incommodo levatum putabo et libenter a visitatione ejusdem abstinere, cum persuasum mihi sit, hoc inter*

jura numerandum non esse, quae pastoralis sollicitudo debeat Ecclesiae sumptibus tueri.

Ex dispositione sacri concilii Trid. Sess. 7. cap. 7. de reformatione habetur: *Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis seu aliis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur ab Ordinariis Locorum annis singulis visitentur appellationibus privilegiis, exemptionibus minime suffragantibus.* Rursus in eadem Sessione cap. 8. statutum est: *Locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur et opportunis Juris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, Judicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis.*

Sub hac Tridentini dispositione existimarunt Equites Hierosolymitani nequaquam comprehendere illorum Ecclesias et Capellas, licet in illis cura animarum exercetur; hinc graves inter ipsos et locorum Ordinarios ortae sunt controversiae, quas tamen compescere voluit s. Pius V. Constitutione edita die 21. Septbr. 1571, cujus initium est: *Exposuit, in qua §. 3. decrevit: Omnes et singulos locorum Episcopos et alios Superiores tamquam Apostolicae Sedis Delegatos omnes et quascumque parochiales Ecclesias caeteraque Beneficia Ecclesiarum suarum, Civitatum et Dioecesium, quibus animarum cura imminet, ad dictam Religionem (scilicet Hierosolymitanam), ejusdem Milites, Capellanos, Ministros Rectores quomodolibet pertinentia, etiam quod in eis episcopalem et tempo-*